

ACTA SYNODALIA
SACROSANCTI CONCILII
OECUMENICI VATICANI II

VOLUMEN II
PERIODUS SECUNDA

PARS I
SESSIO PUBLICA II
CONGREGATIONES GENERALES XXXVII-XXXIX



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXXI

10

REV.MUS P. D. IUCUNDUS GROTTI
Praelatus Nullius Acrensis et Puruensis

Dilectissimi venerabilesque Patres,

Et mihi omnium minimo et ex amplissima et longinqua Amazonia venienti liceat pauca dicere de schemate proposito.

Certe multa inveniuntur digna laude; tamen:

1. *Lingua* adhibita multoties est dura et termini frequenter usurpantur in sensu non proprio aut non consueto.

2. *Modus exponendi* non est perspicuus, multa pluries repetuntur, non satis patet connexio inter partes, citationibus farcitur ita ut potius ad opus musivum comparari possit quam ad opus natura sua unum.

3. *Quoad materiam*. Schema autem iuxta quod divinum salutis consilium, quod totius tractationis est fundamentum et generalis structura, pro pastoralis munere proponendum, iam a saeculis lucide et complete

expositum invenitur in omnibus et singulis orientalibus Anaphoris Sacrificii Eucharistici, sive Byzantinis aut Syriacis, sive Armenis aut Ethiopicis; quibus concordant maiores Pontificalis Romani preces consecratoriae et ipse S. Gregorii Magni sermo cuius parvum fragmentum citatur in cap. I dum e contra totus sermo esset attendendus prout legatur hucusque in homilia tertii nocturni Dominicae Septuagesimae, scilicet: de consilio Dei in se; de consilio Dei in executione ab Adam usque ad ultimum electum.

Cum denique sanctitas sit de natura Ecclesiae, cap. V cum cap. I fundendum est ubi sermo est de natura Ecclesiae, vel immediate post ipsum collocandum esse videtur. Dixi.

ACTA SYNODALIA
SACROSANCTI CONCILII
OECUMENICI VATICANI II

VOLUMEN II
PERIODUS SECUNDA

PARS II
CONGREGATIONES GENERALES XL-XLIX



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXXII

8

EXC.MUS P. D. ATTILIUS CONSTANTINUS M. BARNESCHI

*Episcopus Manziniensis*1. *Circa cap. I, sect. III, comma 7.*

Quaedam saltem verborum inconsequentia manifesta est inter ea quae leguntur in paragrapho septima et in paragrapho nona de christianis non catholicis: in par. 7 legimus: « ... licet extra totalem compaginem elementa plura sanctificationis inveniri possint, quae ut res Ecclesiae Christi propriae, ad unitatem catholicam impellunt » (linn. 22-24). In paragrapho nona autem legimus: « Ita Spiritus in cunctis Christi discipulis desiderium actionemque suscitatur, ut omnes, *modo a Christo statuto*, in uno grege sub uno Pastore pacifice uniantur. Quod ut obtineat Ecclesia precari, sperare et agere non desinit, omnesque ad orandum et cooperandum exhortatur, ut, purificati et renovati, signum Christi super faciem Ecclesiae clarius effulgens extollant » (linn. 35-41).

Quonam sensu accipitur nomen Ecclesia? Verba: « modo a Christo statuto » suntne intelligenda de meris circumstantiis historicis an immo de reali unione inter catholicos et christianos non catholicos?

2. *Circa cap. I, sect. III, comma 8* (linn. 18-22).

Non satis clara et aperta videntur verba: « Suo modo idem valet de illis qui nescientes Ecclesiam Catholicam esse veram et unicam Ecclesiam, sincere, adiuvante gratia etc. ».

Quid significant verba « Suo modo »? Quo sensu legitur in *Commentario* (pag. 22) « Patet ita proponi quod absolute certum est », si quaestio de sensu, valore et extensione vocabuli « membri » non dirimitur?

— — — — —

13

EXC.MUS P. D. ATTILIUS CONSTANTINUS M. BARNESCHI

Episcopus Manziniensis

1. *Circa cap. II, sect. II, comma 13.*

Persaepe sermo est de « apostolis et successoribus ». Nonne opportunum esset quaedam quoque dicere de actuali modo, quem Ecclesia retinet, in eligendis episcopis, praesertim ratione habita antiquissimarum consuetudinum?

2. *Circa cap. II, sect. II, comma 15.*

De diaconatu legimus: « Immo diaconatus in futuro tamquam proprius ac permanens gradus hierarchiae exerceri *poterit*, ubi Ecclesia id pro necessitate curae animarum, aut in certis regionibus aut in omnibus, expedire censuerit » (linn. 36-39).

Cum vero huiusmodi opportunitas praesertim in quibusdam missionum regionibus urgeat, suggeritur quid magis concretum de hac necessaria restitutione officii Diaconatus.

3. *Circa cap. II, sect. III, comma 16.*

Non placet verbum « receptum » (lin. 34). Nam ex adnotatione trigesima quarta innuitur hoc verbum intelligendum esse de illis Oecumenicis Conciliis, quae Summus Pontifex in praeterito confirmavit, quamvis non convocaverit. Cur autem legimus in linn. 30-31: « Romani Pontificis praerogativa est Concilia Oecumenica convocare, iisdem praesidere et eadem confirmare »?

Quaeritur igitur: verbum « receptum » estne tantummodo intelligendum de quibusdam praeteritis Conciliis Oecumenicis?

4. *Circa cap. II, sect. IV, comma 21.*

Non videtur opportuna mentio verbi S. Pauli (*Rom.* 1, 14), quam legi-

mus inter linn. 34-35 commatis 21, scil. « Ut Paulus apostolus sapientibus et insipientibus debitor est ». Cum verba « insipientibus » aperte referantur iis « qui inter populum suum degentes de uno ovili nondum sunt » (linn. 32-33) praetermittenda videntur.

23

REV.MUS P. D. IUCUNDUS M. GROTTI
Praelatus nullius Acrensis et Puruensis

Introductio.

In hesterna generali congregatione, [38] em.mus praesul Panormitanus, D. Ernestus card. Ruffini, forsan benevolentia motus, clariorem et concinniore introductionem exoptavit. Revera, quae proposita fuit nec clara nec brevis est, immo, simpliciter mihi notanda esse videtur sententia negativa: non placet! Ex iis quae sequuntur patet conclusio. Ad rem:

Lin 1: *Lumen gentium etc.*: Ex electione verborum facta a priori « Lumen gentium » ad constitutionem inchoandam, periodus est aequaliter contorta et graviter peccat contra stylum et claritatem.

Lin. 2: *Sacrosancta Synodus*: Praeferenda videtur, quia plenior et traditionalis, formula: Sacrosancta Oecumenica Vaticana Synodus.

Lin. 2: *In Spiritu Sancto congregata*: Numquid, iuxta tridentinum morem, etiam inserendum « legitime » ita ut dicatur: « in Spiritu Sancto legitime congregata »?...

Lin. 2: *omnes*: « cunctos » ponatur loco « omnes » elegantiae causa, ut vitentur repetitiones in lineis subsequentibus: omnes homines (lin. 3), omni creaturae (lin. 4).

Lin. 3: *In caligine*: Caligo hic ponitur ob correlationem cum initio « Lumen gentium », tamen: Caligo, in divinis Scripturis, non tantum significat umbram vel tenebram, sed etiam arcanam Dei praesentiam; en textus! « Caligo in qua erat Deus » (*Ex.* 20, 21); « Dominus pollicitus est ut habitaret in caligine » (*Paral.* 6, 1).

Nec omnes homines in caligine vivere videntur; quo in saeculo Conciliares Patres, qui sunt et homines, vivunt?

Propositio posset offendere et proinde fugare quos Ecclesia vult ad se vocare, scil.: fratres separatos, et homines magis excultos.

Lin. 3: *Claritate eius*: Hoc « eius » certe refertur ad Christum, attamen: Ecclesia habet suam lucem quae est lux ipsius Christi cuius est discipula et cum quo est magistra.

Ecclesia est Christus mysticus; « numquid Christus est divisus »?... (*1 Cor.* 1, 13).

Concilium — subiectum istius propositionis — habet, cum sit legitime congregatum et a Pontifice rectum, maximam lucem cum gaudeat infallibilitate.

Ergo dicendum potius esset: « luce sua », scil. Concilii et consequenter incisum initiale prorsus esset in aliud commutandum.

Lin. 3-4: *Super faciem Ecclesiae resplendente*: loquitur in praesenti de Christo, tamen notandum est:

Christus illuminat Ecclesiam tantum vel « omnes homines venientes in hunc mundum »?... (*Io.* 1, 9).

Propositio habet valorem grammaticalem restrictivum, tamen in lin. 7 subsequenti disseritur de Ecclesia uti « sacramentum totius generis humani » et in lin. 23 Ecclesia dicitur amplecti universos homines iustos ab Abel iusto usque ad ultimum electum; unde, ergo, restrictio?...

Lin. 4: *Exoptat*: desiderium est actio interna, sed actio conciliaris non est interna! Actio conciliaris ad desiderium tantum, quamvis sanctum et perfectum, reduci potest?

Rectius diceretur: « illuminare exoptans... annuntiat! » at non « illuminando exoptat! » quia actio conciliaris, in hac ultima formula nimis minuitur.

Lin. 5: *Evangelium*: Hac in linea, procul dubio, Evangelium significat « bonum nuntium », tamen: Evangelium, apud homines « in caligine huius saeculi viventes » (lin. 3), significat scripta SS. Matthaei, Marci, Lucae et Ioannis.

E Concilio non prodit editio altera restaurata Evangeliorum uti praefati homines faciliter intelligerent.

Haec enim constitutio conciliaris ortum tantum habet ab Evangelio sed attingit ad integrum Ecclesiae thesaurum doctrinalem qui constituitur: universis divinis Scripturis et traditione divino-apostolica ab Ecclesia fideliter servatis, in dies clarius illustratis, indefectibilis Spiritus Sancti ope, uti innuitur ex linea decima in qua sermo est de dependentia a praecedentibus Conciliis quae non semel tales fontes enumerant (cf. Denz. nn. 873 a, 830, 947, 959, 983 etc.).

Lin. 6: *In Christo*: Quod Ecclesia sit signum et instrumentum est perspicuum; non equidem additio « in Christo » quae non nisi a vere peritis intelligitur vel intelligi potest.

Si consideramus denique subsequens incisum « seu veluti sacramentum » quocum connecti debet, hoc « in Christo » fere inexplicabile evadit pro maiori parte fidelium qui sciunt sacramenta esse a Christo at non in Christo!

Lin. 7: « *intimae* »: Adiectivum hoc cum habeat sensum proprium et definitum profluentem e radice « intus » id est: quod est occultum, intrinsecum et secretum, non equidem referri potest ad unionem hominum inter se et hominum cum Deo. Melius esset ponere adiectivum « perfectae » aut omittere ex toto adiectivum ut in divo Augustino olim legebatur in breviario: « O sacramentum pietatis, o signum unitatis, o vinculum caritatis » (feria II infra Oct. Corp. Christi).

Ordo unionum inverti debet.

Lin. 8: *Instantius*: Vox ter repetita apparet in sex linearum spatio: instantius (lin. 8), instans (lin. 10), instantia (lin. 13).

Lin. 9: *fidelibus suis*: Cum Ecclesia sit congregatio iustorum « ab Abel usque ad ultimum electum » (lin. 22-24), « fidelibus suis » significat « sibi »; unde consultius subiectum esset Concilium.

Ex praecedenti observatione patet quod divisio est prorsus inadaequata.

Si fideles, denique, sunt omnes iusti, infideles et generatim « mundus universus » estne congregatio pravorum hominum? Haec omnia fluunt ex non bene definita notione Ecclesiae inde ab initio!

Lin. 9: *Declarare intendit*: Concilii est declarare, non vero intendere declarare (cf. prooemia Concilii Tridentini et Vaticani I).

Etsi hodie, fortasse, vitanda sit definitio sub anathematis comminatione, oporteret tamen considerare:

Concilium conscium esse debet suae virtutis et hanc conscientiam saltem ex modo loquendi, si non ex definitione, manifestare debet; apostolus Paulus, in tempore suo, aliter agebat: « Sed licet nos, aut angelus de caelo evangelizet vobis praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit... iterum dico: si quis vobis evangelizaverit, praeter id quod accepistis, anathema sit » (*Gal.* 1, 8-9).

Declarare minus est quam definire: Concilium saltem declarare deberet valorem praecipuarum assertionum.

« Declarare intendit » est fere repetitio prioris assertionis « annuntiat » (lin. 5).

Lin. 10: *Sermone menti hodiernae accommodato*: Notate, Patres! Omnis homo vivit in caligine (lin. 3). Qui in caligine vivit, caliginose loquitur. Ergo, Concilium, volens se accommodare menti hodiernae debet caliginose disse- rere; et revera non semel quae sequuntur caliginose proponuntur!

Lin. 11: *Condiciones etc.*: Vis condicionum huius temporis nimis extolli- tur nam nova et vehementior dicitur in lin. 12. At Ecclesia a caritate Christi, a quo, in quo et per quem omnia, in divinis Scripturis urgeri dicitur; et quae vis vehementior?

Lin. 14: *Arctius*: « Arctius » sub quodam respectu tantum est accipien- dum, nam et illa media enumerata aliquoties homines dividunt.

Lin. 15: *Plenam*: Loco « plenam » « veram et perfectam » dicerem uni- tatem, cum unitates de quibus supra nec semper verae et numquam perfec- tae sint.

Prooemium schematis propositi « non placet » novumque proponitur.

Parcite mihi si denuo vos alloqui audeo! Paucas tantummodo, ex multis adnotationibus secretariae traditis, legam novumque vobis postea prooemium tradam.

« In secunda generali congregatione, Em. ... (cf. folia secretariae die 2 c. mensis tradita).

Quoad primum caput, liceat mihi sequentia adnotare:

1. E schemate proposito non apparet cur non-catholici vocari debeant ad Ecclesiam et cur vocationi respondere teneantur.

2. Pluralitas imaginum vix enuntiarum nisi rite explicentur, aut melius, ubi materia postulat, inserantur, potius confusionem favet quam claritatem quia nonnullae, inter se comparatae, ad invicem se excludunt, e. g.: familia et sponsa; societas, familia et sponsa; societas, familia, sponsa, corpus; vinea et grex.

Et fortasse quis iocose dicat: Ecclesia est arca Noe, in ipsa uniuntur sponsa, familia tota, immo et grex!

Sed haec sufficiant! Ad novam prooemii formam deveniam in qua apparent radices tractationis elementorum a nonnullis purpuratis illustratorum: Fontes (card. Bea); Ecclesia cosmica (card. Lercaro); Ecclesia sacramentum unitatis (card. Ritter); Activitas Spiritus Sancti (card. Confalonieri). Ad rem!

Prooemium.

Amor cum sit Deus,¹ visibilia omnia et invisibilia² a se mirabiliter³ condita et de cuius perfectione participant,⁴ ad unitatem impellit;⁵ et cuncta, non obstante originali culpa qua vulneratus est homo,⁶ quaeque aliquantulum in rerum universitatem redundat,⁷ ad unitatem, suapte natura, feruntur;⁸ quare, mirabilium praesertim adinventionum causa quae, deitatis incessabili luce ac vi, nostri aevi assecutus est homo, undique in dies crescit culturalis, socialis, cosmicae immo et culturalis unitatis.

Ut homines autem uno etiam ac signanter religionis arctiori vinculo iuncti,⁹ unumque corde, mente et opere tandem affecti, ad Deum adspirent Deumque veluti attrahant,¹⁰ qui, omnis vitae est prima origo,¹¹ haec Sacrosancta Oecumenica Synodus Vaticana II, Sacris Scripturis et apostolorum traditionibus innixa, ut huic generali siti provide occurrat simulque claritatem foveat confusionemque depellat, revocata ad memoriam divina universali oeconomia, distinctisque ac declaratis singulis formis sub quibus, saeculorum decursu, Ecclesia apparuit,¹² de ipsa in strictiori ac pleniori sua acceptione, prout scilicet a Patre per Filium eius Iesum Christum, Sancti Spiritus afflante gratia,

¹ 1 Io. 4, 8; 4, 16.

² *Symbolum Nicaeno-Constantinopolitanum.*

³ *Gen.* 1, 31; *Missale Romanum, Ordo Missae*, oratio dicenda dum infunditur aqua in calicem; *ibid.* Vigilia Paschalis, oratio post primam lectionem.

⁴ *Sap.* 13, 3-5; *Miss. Rom.*, oratio secreta primae Missae in Nativitate Domini.

⁵ *Os.*, 11, 1-9.

⁶ *Concilium Tridentinum*, Sess. V; *Gen.* 3; *Rom.* 5, 12-21.

⁷ *Gen.* 3; *Rom.* 8, 19-23; multorum Sacramentalium universae Ecclesiae preces.

⁸ *Is.* 54, 4-10.

⁹ *Eph.* 4, 1-16.

¹⁰ *Act.* 17, 27.

¹¹ *Gen.* 1; *Gen.* 2; *Act.* 17, 24-28.

¹² S. GREGORIUS MAGNUS, *Hom. in Ev.* 19: PL 76, 1154 prout in tres lectiones distributa olim legebatur in Breviario Romano in Dominica Septuagesimae.

super Petrum fundata fuit, quaeque eiusdem Paracliti virtute in dies ad perfectiora evehitur, fidelibus suis cunctisque hominibus doctrinam tradit, disserens de Christi Ecclesia in sua arcana natura et salutari missione, de eiusdem constitutione hierarchica seu de ipsius Petri ac signanter ceterorum apostolorum successoribus eorumque in sacro ministerio cooperantibus, de iis quoque qui dominica sectantur consilia ac tandem de fidelibus caritatis opera assidue exercentibus.

Caput I: *De mirabili totius Ecclesiae sacramento.*¹³

Aeternus Pater, arcano sapientiae ac bonitatis suae consilio, per Verbum suum,¹⁴ Spiritus Sancti virtute,¹⁵ universa, visibilia et invisibilia, creavit,¹⁶ ut Divini Verbi similitudines divinique amoris participationes extarent, cuius vi, in sua pluralitate, cuncta creata unitatem peterent, sicut et ipse Deus, omnium exemplar, principium et finis, qui Trinus est et Unus.

Attamen, inter alia a se condita, ita hominem dilexit ut in ipso sua divina clarius niteret imago:¹⁷ sensibilis naturae, cosmicae cuiusdam ecclesiae, sacerdos factus, vixit Adam in paradiso voluptatis ut operaretur et custodiret illum,¹⁸ cunctisque praeesset;¹⁹ quae omnia, per ipsum cum ipso et in ipso, Deo ac sibi et inter se unita erant. Ideoque, iam in ipso humanae consortionis exordio, Deum Ecclesiam fundasse, verissimo quodam sensu, dicendum est. Est enim Ecclesia, inde a primi Adae innocentis tempore, qui fuit « forma futuri », ²⁰ hominum cum Deo et inter se adunatio, Dei familia et regnum: qua in societate, Deus pater extat et sponsus, caput et rex, magister atque salvator; humanitas vero filia et sponsa, corpus et subditum, discipula atque salvanda, sed ad cooperationem vocata, uti mater et magistra, in omnium procuranda salute; Spiritus autem gratia est vita, spiramen et vinculum, quo ipsa Ecclesia, familia et regnum, e pluribus fit unum.

Diabolica tamen fraude deceptus, humani generis protoplastes ruit, et per ipsum et cum ipso et in ipso rerum ordo mirabilis. Sed Amor cum sit Deus, a diligenda factura sua numquam destitit; at missis Patriarchis, Moyse et Prophetis servis suis, clariorem in dies Verbi revelationem et ampliorem Spiritus effusionem contulit; quarum vi ac virtute, filios suos in Adamo lapsos ²¹ atque dispersos ad unum secum indesinenter revocans,²² ac foedus successive

¹³ Oratio post II prophetiam olim Sabb. S. in Missali Romano.

¹⁴ Io. 1, 3.

¹⁵ *Ineffabilis Deus.*

¹⁶ Symbola fidei.

¹⁷ Gen. 1, 27.

¹⁸ Gen. 2, 15.

¹⁹ Gen. 1, 26.

²⁰ Rom. 5, 14.

²¹ Rom. 5, 12.

²² Io. 11, 52.

iterans,²³ novas iugiterque perfectiores Ecclesias, seu potius unius eiusdemque universalis Ecclesiae formas praebuit, ab initiali ad patriarchalem, a patriarchali ad mosaico-propheticam, et ab hac ad Christi Ecclesiam, novissimam omnium ac perfectissimam, super eiusdem Christi angularem lapidem et Petri arcem fundatam, in quam cunctarum gentium transiret plenitudo²⁴ et per quam omnia redire possent in integrum a quo sumpsere principium: Iesum Christum Dominum nostrum, Aeterni Patris Filium.²⁵

Imminente enim temporis plenitudine, cum Aeternus Pater Mariam excitavit gratia plenam²⁶ non tantum primorum temporum revixit Ecclesia sed ex tunc ad perfectiorem formam est evecta: haec namque Dei filia, sponsa ac discipula, necnon cum at sub Eo mater et magistra, innocentis Evae celsitudinem longe superans, Evae nocenti eiusque filiis mirabile extitit salutis exordium.²⁷

« Quando venit ergo sacri plenitudo temporis », ²⁸ e caelorum arce misit Pater ²⁹ coaeternum sibi Filium qui, de intemeratae Virginis intacto sinu Sancti Spiritus obumbratione fecundato,³⁰ nostram suscipiens naturam « homo factus est » ³¹ « et habitavit in nobis ». ³²

In ipso autem Incarnato Verbo, Deo homineque in unam eandemque conveniente personam,³³ supremam Ecclesia perfectissimamque attigit formam: Deitate per modum patris, sponsi ac magistri, relate ad Christi humanitatem se habente; Christi autem humanitate, filiae ad instar, sponsae ac discipulae, matris et magistrae, cum at sub divinitate se gerente.³⁴ Quae mirabilis Ecclesiae forma, ex ipso Incarnationis facto ad Nazarethanam redundavit familiam,³⁵ immo ad humanam progeniem et quodammodo ad universitatem creaturarum rerum.³⁶ Quos vero, incarnatione sua, ad se adunaverat

²³ Oratio post V proph. olim Sabb. S. in Missali Romano.

²⁴ Oratio post IV lectionem Vigiliae Pasch. in Missali Romano.

²⁵ Oratio post II Proph. olim Sabb. S. in Missali Romano.

In confectione universae istius sectionis huius cap. I, duxit me spiritus, saepe saepius et littera, anaphorarum orientalium (signanter Syro-Anthiochenae S. Iacobi), missalis romani, ac totius homiliae S. Gregorii Magni quae olim in dominica septuagesimae legebatur.

²⁶ Lc. 1, 28.

²⁷ Oratio Miss. Romani in festo B. M. V. Nativitatis.

²⁸ Brev. Rom., Hymnus ad Mat. temp. Passionis; Gal. 4, 4.

²⁹ Gal. 4, 4; 1 Io. 4, 9-10, 14.

³⁰ Miss. Rom., Praefatio B. M. V.

³¹ Io. 1, 14.

³² Io. 1, 14.

³³ Miss. Rom., secreta in secunda Missa Nativ. Domini.

F. MORIONES, O.R.S.A., *Enchiridion Theologicum S. Augustini*, Matriti 1961, n. 1160.

³⁴ S. AUGUSTINUS, *Sermo* 291: PL 38, 1319.

³⁵ Brev. Rom., Hymnus (Leonis XIII) ad Laudes in festo S. Familiae.

³⁶ *Ench. S. Aug.*, nn. 1217-1243 passim.

atque in seipso ad perfectissimam Ecclesiam redegerat, tunc etiam, actione sua, ad se et in seipso, inter se et in seipsis, adunare coepit cum, praemisso asperimo quadragesimali ieiunio ac tentatore depulso,³⁷ Dei regnum praedicare aggressus est,³⁸ et, vocatis, institutis ac missis apostolis; receptis discipulis; adlectis turbis; sua divinitate suaque doctrina miraculis firmata; sacra hierarchia constituta; sanguine effuso et morte, resurgendo, devicta; caelo, gloriose, conscenso; Pentecostes die, Spiritu Sancto affluenter demisso;³⁹ Ecclesiam ad terrestrem perfectissimam formam evexit.

Haec est universalis Ecclesiae novissima et perfectissima terrestris forma, quam Christi necnon Petri ceterorumque apostolorum vocamus,⁴⁰ et ad quam priores eiusdem universalis Ecclesiae formae, tamquam flumina ad oceanum atque semitae ad montis fastigium undique confluunt.⁴¹

In ea vero, Deus Pater caput extat supremum, sponsus, magister et rex;⁴² per Filium suum e Virgine natum, arcane ad consummationem usque saeculi nobiscum manentem,⁴³ Paracliti Spiritus providentia invisibiliter hanc ipsam Ecclesiam suam gubernans et incessabiliter provehens,⁴⁴ visibiliter autem per Petrum in primis ceterosque apostolos, in propria ac successorum persona,⁴⁵ tamquam Patres,⁴⁶ sponsali quoque anulo ornatos,⁴⁷ regalisque Iesu sacerdotii participatione sacros,⁴⁸ capita atque magistros;⁴⁹ reliqua fidelium compagine ad eos se habente tamquam filia, discipula, subdita,⁵⁰ ac tamen sponsa,⁵¹ immo matris et magistrae munus cum at sub eis exercente;⁵² quibus omnibus divini

³⁷ *Mt.* 4, 1-11; *Mc.* 1, 12-13; *Lc.* 4, 1-13.

³⁸ *Mt.* 4, 23.

³⁹ Cf. N. T. et praesertim *Evang.* et *Act.* notissimos locos.

⁴⁰ CONC. VAT. I, Const. Dogm. *Pastor aeternus*; *Ench. S. Aug.*, nn. 1289-1310; *Symb. Apost.* et *Nicaeno-Const.*

⁴¹ *Mt.* 5, 17-48; *Eph.* 2, 19-22; *Hebr.* 11, 39.

⁴² Pro his titulis qui, diversa ratione, competunt Deo, Ecclesiae eiusque membris sive in hierarchico Ordine constitutis sive non, cf. notissimos Prophetarum, Psalmorum, Evangelii et Pauli locos (e. g. *Is.* 54, 4-10; *Os.* 2; *Eph.* 5, 21-33 etc.) necnon *Ench. S. Aug.* nn. 1217-1392, passim.

⁴³ *Mt.* 28, 20.

⁴⁴ *Io.* 14-16, passim; *Act.* in omnibus capitibus, exceptis 3, 12, 24-27; *Miss. Rom.*, oratio in sabb. Quattuor temp. Pentecostes; *Ench. S. Aug.* nn. 1260-1288, passim.

⁴⁵ ORIGENES, *Hom. in Mt.* ad cap. 18; *Ench. S. Aug.* nn. 1289-1327, passim.

⁴⁶ *Pont. Rom.*, in initio ritus ordinationis Diac. et Presb. necnon consecrationis Virg. et Regum.

⁴⁷ *Pont. Rom.*, in anulī episcopalis traditione.

⁴⁸ *Hebr.* 5-10, passim; *1 Pt.* 2.

⁴⁹ S. CYR. ALEX., *Comment. in Io.*, lib. 12 (PG 74, 701-722).

⁵⁰ *Rom.* 8, 14-17; *Gal.* 4, 1-7; cf. ritum byz. et romanum benedictionis fontis seu aquae baptismalis, ipsosque baptismatis ritus.

⁵¹ Cf. notam 42.

⁵² Cf. notam 42.

Amoris virtute, familia,⁵³ corpus, populus atque regnum⁵⁴ exurgit, ad pleniorum in dies unitatem, altiorumque sanctitatem provehendum in terris, gloriose ac perpetim consummandum in caelis. Quae supernaturalis societas, sui capitis divini ratione, absoluta unitate et infinita sanctitate refulget; beatissimae autem Virginis, angelorum aliorumque caelitem, immo et revelatae doctrinae, necnon sacrorum instrumentorum salutis ac supernae destinationis causa, sublimi iam unitate et sanctitate coruscat; quia vero, originariae labis humanaeque inde consequentis debilitatis pondere, necesse est de mundano pulvere religiosa etiam corda sordescere,⁵⁵ ideo stupebit nemo si terrena Ecclesiae portio, quousque in hac peregrinatur infirmitatis valle, membris seu filiis constet non tantum qui mirabilem iam in terris assecuti sunt sanctitatem, sed et qui, fragilitate, ignorantia aut malitia, membris aegrotis⁵⁶ filiisve prodigis comparari valent; quos tamen misericors Pater, per Filium suum generis nostri Satorem, eiusque ministros, innumeris pene suae sapientiae suaeque caritatis modis,⁵⁷ Sancti Spiritus arcana virtute, qui etiam rebelles quit voluntates compellere,⁵⁸ auxiliante quoque ineffabili sanctorum communionem,⁵⁹ dum sanctos hic adhuc degentes adiuvat ut ad ampliorem perfectionem ascendat, extorres vocat aut revocat, aegrosque a peccatorum lepra⁶⁰ saltem, nisi restiterint, mundat;⁶⁰ filios impenitentes vero, tamquam putrida membra lugens resecat;⁶¹ cunctosque sibi adhaerentes, praemissa etiam, quoties oportuerit, salutifera in Ecclesia Purgatorii expiatione,⁶² ac suscitatis dein gloriose

⁵³ Ecclesia est in primis familia cum constet Patre, filiis et amore, et, consequenter tantum, regnum et populus.

Quoad omnes praedictos locos, ubi sermo est de Deo, Beata Virgine, capitibus aliisque Ecclesiae membris, ac de paternitate, filiatione, sponsalitate, maternitate, discipulatu, magisterio, et amore uniente, sanctificante, provehente etc. cf. C. M. BERTI, O.S.M., *Methodologiae Theologicae Elementa*, Romae, Desclée, 1955, passim et praesertim pp. 79-90, 100-113, 118-132.

⁵⁴ Notandum est, cum dicimus Ecclesiam esse familiam, populum, regnum, nos non loqui figuraliter sed realiter; unde mirandum est quod in schemate proposito familia non fuit inter figuras collocata et ei praelata fuit vox « populus ».

⁵⁵ S. LEO MAGNUS, *Sermo IV de Quadrage.* olim in II noct. Dominicae I in Quadrage. Brev. Rom.

⁵⁶ *Pont. Rom.* in expulsionem publice poenitentium ex Ecclesia in feria IV cinerum et in reconciliationem eorumdem in feria V in Coena Domini, necnon in ordine suspensionis et reconciliationis; cf. *Ench. S. Aug.* nn. 1363-1392, passim.

⁵⁷ Cf. Anaphoras Orientales et ritus Sacramentorum et Sacramentalium omnium Liturgiarum.

⁵⁸ *Miss. Rom.*, secreta Sabb. post Dom. IV Quadrage.

⁵⁹ Symb. Apost. et Nic.-Const.; Sacrae Liturg. ubi de glorificatione et intercessione Sanctorum ac de precibus pro Defunctis; Sacrarum Indulgentiarum praxis.

⁶⁰ Cf. notam n. 56 et omnes poenitentiales ritus, sive pertinentes ad Sacramentum Poenitentiae et Unctionis Infirmorum, sive ad Sacramentalia.

⁶¹ Cf. notam 56.

⁶² Cf. Liturgiam Defunctorum.

ipsorum corporibus,⁶³ Beatorum in caelis tandem iungat Ecclesiae consortio;⁶⁴ ubi, in fine saeculorum, tradita per Dominum Iesum Aeterno Patri familia seu regno,⁶⁵ ipse Amor qui Deus est,⁶⁶ perfectissime in Ecclesia manebit et ipsa in eo;⁶⁷ sicque unitatem et sanctitatem assequetur absolutam omnino atque perpetuam.

Nota: Ut dictum est sic esset disponenda materia adhuc tractanda schematis *de Ecclesia*:

- Cap. I. De Dei Patris aeterno consilio eiusque temporali executione seu de mirabili totius Ecclesiae sacramento.
- Cap. II. De Filio Dei, Domino nostro Iesu Christo.
- Cap. III. De Spiritu Sancto ac de sanctitate.
- Cap. IV. De Deipara Virgine Maria.
- Cap. V. De ministris Dei et Ecclesiae.
- Cap. VI. De consiliorum evangelicorum sectatoribus.
- Cap. VII. De christifidelibus.
- Cap. VIII. De omnibus ad Ecclesiam plene adducendis.
- Conclusio.

⁶³ Symb. Apost. et Nic.-Const.; Lit. Paschalis.

⁶⁴ *Miss. Rom.*, oratio pro Episcopo defuncto et generatim pro omnibus defunctis.

⁶⁵ *1 Cor.* 15, 20-28.

⁶⁶ *1 Io.* 4, 8, 16.

⁶⁷ *Io.* 14, 23; *1 Io.* 4, 16.

ACTA SYNODALIA
SACROSANCTI CONCILII
OECUMENICI VATICANI II

VOLUMEN II
PERIODUS SECUNDA

PARS III
CONGREGATIONES GENERALES L-LVIII



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXXII

11

Exc.MUS P. D. ATTILIUS CONSTANTINUS M. BARNESCHI

Episcopus Manziniensis

Circa cap. III, comma 24. Ratione habita summi momenti « sensus fidei » de quo quam saepissime sermo est praesertim in recentioribus Ecclesiae magisterii solemnibus documentis, opportunum esse videtur amplius explicare verba « Hic sensus fidei... coalescit ipsorum consensu de rebus fidei et morum “ab episcopis usque ad extremos laicos fideles”, ut dicit S. Augustinus » (l. 17-19).

REV. MUS P. D. IUCUNDUS M. GROTTI

*Praelatus nullius Acrensis et Puruensis**Animadversiones generales super cap. II.*

Ordo capitulorum: quae de episcopis agunt uniantur!

De ceteris ordinibus nihil?... Ordo sequendus: De episcopo in se ipso; de episcopo relate ad Petrum; de episcopo relate ad ceteros episcopos; de presbyteratu; de diaconatu; de ceteris ordinibus.

Pariterque de cardinalibus, nihil in schemate de Ecclesia?...

Liturgia orientalis tantummodo generice citatur et semper una cum liturgia occidentali quae unice apparet in citationibus et notulis.

Principalis defectus istius capituli est frequens repetitio eiusdem conceptus.

Ex non bene exposita idea de Ecclesia, adhuc multa confusio!

Ut idea Ecclesiae clarius eluceat et pastorali usui melius accommodetur, memor illius: « redemptio est nova creatio » schema generale *de Ecclesia* propono, scil.: Ecclesia initialis (creatio); Ecclesia patriarchalis; Ecclesia mosaico-prophetica; Ecclesia Christi.*Ad prooemium.*Lin. 1: « *populum Dei* ». Quis?... est Ecclesia universalis, ab Abel iusto usque ad ultimum electum?... Est populus de quo V. T. loquitur?... Est Ecclesia Christi?...Lin. 2: « *Corpus suum* ». Saltem addere debemus *mysticum*, sed sensus est: Christus exaedificat corpus suum, attamen: nec corpora dicuntur exaedificari nec quisque dicitur suum corpus exaedificare.Lin. 3: « *praesertim* » auferatur; « *stabiles* »: stabilitas in divinis scripturis exprimitur relate ad tempus et spatium; « *ministraciones* »: locus Pauli citatus refertur ad Ecclesiam charismaticam; « *ad* »: melius est ponere « *in* ».Lin. 4: « *Ministeria ac munera* »: munera erunt et in caelo; ministeria cessabunt; ergo non sunt idem. « *Ministeria* » exprimit ideam servitii; « *munera* » exprimit potius privilegium et divitias.« *Ad bonum etc.* » est repetitio linn. 1 et 2.Lin. 5: « *Quicumque etc.* »: est materia cap. I; constare potest in prooemio cap. III; est interruptio quaedam in sermone introductivo.« *plena dignitas* »: paganis et omnibus iustis tribuitur plena dignitas christiana?... Ad quid ergo missiones ad illos si iam sunt in Ecclesia, et quidem dignitate plena?...Lin. 7: « *inserviunt* »: addatur *ex officio* quia omnes christifideles inservire debent.

Lin. 8: « *libere* »: secundum modum!... Vaeh mihi si non evangelizavero!

« cuncti... »: sensus est obscurus et propositio non bene aptatur iis quae sequuntur nec iis quae antecedunt.

Linn. 10-15: propositio haec peccat contra ordinem logicum; est superflua; non est vera quoad officium apostolorum.

« Unus et indivisus »: Quod indivisum est unum est.

Linn. 15-20: oportet colligere doctrinam Vaticani I ex Scriptura et traditione tantum, secus orientales separati nobiscum loqui nequeunt.

Linn. 20-25: nova repetitio inutilis, ergo delenda.

Lin. 20: « Ratione »: quid significat? modum? motivum?...

Lin. 21: « Fidelibus »: addatur *suis*, sed ad quid repetitio? Melius esset, in casu, sic dicere: « fidelibus suis credendam et omnibus gentibus proponit considerandam ».

« Capite »: bis invenitur in successivis lineis (24, 25).

Abest declaratio materiae tractandae in capite.

Novum prooemium proponitur.

Christus Dominus qui solvere non venit sed adimplere, ad universa recreanda ac signanter Ecclesiam suam augendam et nutriendam, sacerdotium antiquae legis in novo ad perfectionem duxit et arcana quaedam ministeria e plenitudine sacerdotii sui dimanantia, ad consummationem usque saeculi permansura, provide instituit, praesertim cum apostolos vocavit eisque Petrum praeposuit.

Ipsi, potestate sibi a Domino demandata, munera ad successores, scil. ad episcopos, transtulerunt, immo ad cooperantium coetus non pauca commiserunt. Unde factum est ut in Ecclesia plures constituerentur hierarchici gradus de quibus singulis, in hoc capite, haec constitutio conciliaris disserit, divinis Scripturis atque apostolorum traditionibus innixa.

Animadversiones additae:

Indulgeant mihi si denuo vos alloqui audeo! Brevis ero!

1. Potestas Ordinis et potestas iurisdictionis « arcto vinculo » coniungi asseritur in schemate (pag. 25, lin. 10) et episcopi, praesertim titulares, per os exc.mi Bettazzi, hanc arctam unionem extollerunt, iure meritoque.

Sicque potestas iurisdictionis videtur oriri tantum ex ordine; unde, nomine pauperum, scil. illorum qui caractere episcopali carent et ordinariam habent iurisdictionem, quaestiones vobis propono solvendas.

Nam, antiquitus, cum sacerdotes-missionarii mittebantur, cum aliquo episcopo mittebantur: sic Augustinus in Anglia, Bonifatius in Germania, Cyrillus et Methodius in Polonia et alii multi. Ratio evidens est: nova Ecclesia fundatur, sed nulla Ecclesia sine episcopo! Sacerdotes mittuntur, sed quid sacerdos sine episcopo?... (cf. S. Ign.). Si episcopus deberet tantummodo pontificales celebrare, canonicis praesidere et omnia parata invenire, certe, primo mittantur sacerdotes et diaconi ministrantes qui praeparent, postea episcopum! Attamen verba iam

prolata in hoc mirabile Concilio, episcopis applicata, recolo: non veni ministrari sed ministrare! Et episcopus est fundamentum hierarchiae in quacumque Ecclesia et veluti sacramentum unitatis cum Romano Pontifice, cum clero cumque omnibus fidelibus. Unde concludo interrogans:

a) si potestas ex Ordine, ubi fundatur potestas ordinaria praelatorum qui caractere episcopali carent?...

b) qua de ratione, cum nova fundatur Ecclesia, tantummodo mittitur, — sit venia verbo! — dimidiatus episcopus?...

2. Ad diaconatum quod attinet, sequentia vobis consideranda propono. Origo diaconatus stabilis non est ex ratione dogmatica repetenda sed ex ratione practica desumenda (At.); ita extinctio huius venerabilis et sanctae institutionis. Nam abusus potestatis diaconorum qui ex administratione bonorum Ecclesiae in initio ad ipsam Ecclesiae administrationem devenerunt fuit causa potissima extinctionis quae per absorptionem et paulatim facta est; scil., quidam ad sacerdotium, licet inviti (S. Ier.) promoti sunt, quidam in corpore canonicorum absorpti, quidam tandem in numero cardinalium recensiti sunt.

Ratio practica ab apostolis allata pro institutione diaconatus, hodie adhuc existit; immo, numquam ut in diebus nostris, in Ecclesia, tanta ministeria sacerdoti tribuuntur quae non sunt proprie et stricte loquendo sacerdotalia et essent potius diaconalia ministeria!

Invocantur tamen Diaconi in favorem Missionum, sed forsitan utiliores sint antiquo mundo et generatim civitatibus, inter neo-paganos, ubi diaconi necessaria ad vitam et ad ipsum diaconatum, scil. sacerdotale ministerium, facilius invenire possunt. Quid enim facere potest diaconus sine sacerdote?... Evertendo verba S. Laurentii dicam: « quo progredieris, sine patre, filius? quo, minister sancte, sine sacerdote properas?... (ex officio S. Laur. ad Mat.).

Quoad caelibatum diaconalem usus antiquos, in Ecclesia universa, recolo et in favorem diaconatus uxorati sto. Multos habemus sacerdotes praevaricatores propter castitatem, ne addamus numero sacerdotum et diaconos praevaricatores!

Immo, si Patres permittunt, ideam propono, potius ad iuridicam partem pendentem sed prorsus quaestionem illustrantem. Est idea personalis, debilis (sum enim, uti dixi ex Ecclesia pauperum!), attamen, complures patres quibuscum habui « uno scambio di idee », suam adhaesionem praestiterunt. Ad rem!

Sacerdotes praevaricatores quoad exercitium Ordinis, non quoad ordinem ipsum evidenter, ad diaconatum uxoratum, reducantur. Utiliores sunt enim populo et Ecclesiae si uti diaconos uxoratos servantur potius quam si, excommunicati, extra ecclesiam (fere semper cum scandalo) proiciantur. In qua re, tandem, conflictus datur inter ius naturale paternitatis, licet subreptive sumptum, et ius positivum. Et ut nemo dicat: « haec nova et absurda », audite quae in Concilio Neo-caesarensi, sub Silvestro Papa fere in initio trecentesimae seriei nostri aevi legitur (canon 1-9-1 c):

« Presbyter, si uxorem acceperit, ab ordine suo moveatur.

Si autem fornicatus fuerit vel adulterium commiserit, penitus excludatur.

Si presbyter qui corpore prius peccaverat promotus fuerit et si ante ordinationem peccasse confessus fuerit, ne offerat manens in aliis propter aliud eius bonae vitae studium.

Similiter et diaconus si in idem peccatum inciderit ministeria inferioris gradus exerceat ».

Quidquid sit de hac re, venerabiles Patres, mementote illorum qui veluti in aliquo inferno excommunicationis, ut ita dicam, iacent et nostri sunt fratres in fide et in sacerdotio! illos ponamus saltem in aliquo purgatorio ubi sibi, nobis et Ecclesiae sint utiliores.

Concilium est lux, est spes omnibus; et pro omnibus illis sit spes et initium salutis!

Videant decernantque Patres!

ACTA SYNODALIA
SACROSANCTI CONCILII
OECUMENICI VATICANI II

VOLUMEN II
PERIODUS SECUNDA

PARS IV
CONGREGATIONES GENERALES LIX-LXIV



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXXII

14

EXC.MUS P. D. ATTILIUS CONSTANTINUS M. BARNESCHI

Episcopus Manziensis

Circa cap. IV, comma 31. Prae oculis habita indole constitutionis, videntur supprimenda verba de triplici consilio evangelico paupertatis, castitatis atque oboedientiae, relictis tantummodo iis, quae de consiliis evangelicis in genere habentur. Praetermittendum igitur censemus a verbis « Inter multa » (lin. 6) ad verba: « propinquius accedunt » (lin. 19).

16

REV.MUS P. D. IUCUNDUS M. GROTTI
Praelatus nullius Acrensis et Puruensis

Venerabiles Patres,

Hoc capite finem ponimus tractationi *de Ecclesia*. Quas et quales novitates audivimus! Omnes ad Ecclesiam vocantur; omnibus panditur ianua ut non tantum in Ecclesiam veniant sed in ea vivant, agant et se sanctificent! Verba prolata sunt ad longiores, scil. ad paganos; dulcissima verba ad propinquiores, scil. ad separatos; omnes ad unitatem vocantur nobiscum! Fratres separati, in hac aula, sunt introducti; nunc postulatur ut et ipsi loquantur! Immo et mulieres, et plus quam millenario « mulieres in Ecclesia sileant » detentae, in hisce sessionibus invocantur (et non ad parandam rubiaceam potionem vulgo « caffè » vel « cappuccino »!). Tamen...

Moderator: Loquaris, quaeso, ad cap. IV.

Orator: Ad conclusionem deveniam. Tamen Ecclesia oblivisci non potest sacerdotes qui defecerunt in via et ab ea, sit venia verbo, tenentur in aliquo inferno excommunicationis in quo nulla salus nec spes salutis. Et sunt fratres nostri, et eandem fidem profitentur! Pro originali peccato habemus remedium; pro illorum culpa nihil habet Ecclesia? *Sanctitas est etiam pro ipsis.*¹ Et quot et quales vires amittimus!

Nullam ideam concretam hodie propono: suo tempore proponam. In praesenti tantummodo dicere vellem Patribus: aperite corda vestra ad horum nostrorum fratrum angustias; orate, cogitate in Domino et aliquid pro illis faciamus, sunt enim, pleno iure, noster proximus uti nemo est; et potius quam in inferno excommunicationis, illos ponamus in aliquo purgatorio ubi ipsi, sibi, nobis et Ecclesiae sint utiles. Aperite corda, aperite brachia, estote Patres, veri Patres, ne in itinere suo umbroso tantummodo inveniant malos et necessaria subsidia a malis accipiant qui illos, nos et Ecclesiam humiliant.

Uno verbo: si per Concilium spes omnibus arridet, et ipsis arrideat; et Concilium nostrum sit eis saltem initium salutis! Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ deest.

[*Subsignaverunt etiam*] Michelato (Italia); Kinch (Africa); Zioni (Brasil); Ungarelli (Brasil); Pesce (Brasil); Casullo; P. Carretto; G. M. Coderre; Mario di Lieto.

Animadversiones additae:

1. Sanctitas, ut in schemate proponitur, est potius formalistica quam realistica (non loquor de forma scholastice accepta!...), nam sanctitas quae fere unice praesentatur est sanctitas moralis; sed ipsa substantia sanctitatis non est moralitas actionum, sed praesentia ipsius Christi, seu gratia, in omnibus actionibus. Unde oporteret, meo humili iudicio, tali modo dicere ut clare appareat sanctitatem esse in vita gratiae cuius moralitas actionum est veluti forma externa et fere probatio interioris sanctitatis. Hoc modo facilius ad sacramenta omnes vocare possumus uti ad fontes gratiae et sanctitatis.

2. Abest ratio clara et evidens cur quis ad perfectionem tendere debeat (in primo capite, ni fallor, aberat ratio parallela, ut ita dicam, scil. cur quis in Ecclesiam Christi ingredi debeat). Exhortatio Patrum Conciliarium non est ratio et multo minus ratio sufficiens; semperque, saltem in minus instructis, ideam gignere posset agi de consilio non vero de stricta obligatione. Tamen, ex verbis constitutionis quae consilium Dei ostendere debent et quidem omnibus, fidelibus et infidelibus, clare apparere debet quod quis tantummodo in Ecclesia Christi perfectionem attingit ad quam Deus vocat homines omnes; et in Ecclesia Christi, tantummodo qui perfectionem attingit, seipsum perficit ex toto (si realizza!) tum in ordine naturae tum in ordine gratiae.

3. Ad paupertatem quod attinet, etsi forte ad extremum non sit deveniendum, uti in hac aula audivimus elapsa die, bonum esset considerare quid de nobis dicit populus noster christianus, ad vestes, aedes et currus praesertim quod attinet.

Spiritus Sanctus, uti dictum est, ephemerides non legit; tamen omnibus notum facio — et notitia est utilis — quod in illis diebus in quibus in hac aula tam clare et aperte de Ecclesia pauperum disserebatur, ephemerides quaedam istius civitatis sub duplici columna quaestionem hoc modo lectoribus proposuit: in prima, sermones patrum paupertatem extollentes, in altera pretium crucis pectoralis, anuli episcopalis et aliorum nostrorum ornamentorum, necnon pretium diarium (diaria) cuiusdam hospitalis domus (vulgo hotel) ubi aliqui Patres conciliares inveniuntur!

Haec dixi, non quia omnia prorsus reicienda, sed moderanda saltem videntur; at videant Patres!

De schemate Ecclesiae noviter disponendo.

Cum huius Sacrosancti Concilii Patrum suffragio statutum sit ut de B. Virgine in schemate *de Ecclesia* disseratur, consequenter materia constitutionis de ipsa Ecclesia, multis de causis, noviter disponenda et integranda videtur ut sequitur vel alio meliori modo:

Introductio.

- Caput I. De Dei Patris aeterno consilio eiusque temporali executione.
 seu De mirabili totius Ecclesiae sacramento.
 Caput II. De Filio Dei, Domino nostro Iesu Christo.
 Caput III. De Spiritu sancto ac de sanctitate.
 Caput IV. De Deipara Virgine Maria.
 Caput V. De ministris Dei et Ecclesiae.
 Caput VI. De consiliorum evangelicorum sectatoribus.
 Caput VII. De christifidelibus.
 Caput VIII. De omnibus ad Ecclesiam plene adducendis.
 Conclusio.

Rationes et emolumenta:

a) Nominantur tres divinae Personae, ideoque et causa efficiens, finalis et exemplaris Ecclesiae. Ecclesia enim est, sub invisibili et visibili Patre, in Christo congregatio filiorum, Spiritu Sancto adunatorum, sanctificandorum in dies ac salvandorum, seu « de unitate Patris et Filii et Spiritus Sancti plebs adunata » (S. Cypr.);

b) Introducto capite de D. N. I. C. ante cap. de B. Virgine, utriusque debite illustratur locus etc.; de B. Virgine congrue disseritur, loco et mensura (ratio pastoralis et oecumenica);

c) Spiritus Sanctus apparet ut causa et anima totius Ecclesiae omniumque vocationum et sanctitatis;

d) Membra hierarchiae, religiosi et laici aptioribus et sibi propriis distinguuntur appellationibus; religiosi non miscentur laicis; laici non illo vocantur nomine improprio et profano, sed consueto, sicut cum sermo est de fidelium sensu.

De vocatione ad sanctitatem.

Pulchra et quidem multa, mihi videntur contineri in hoc capite; sed et defectus non paucos video, quique alii sunt proprii, alii vero communes, scil. totius schematis.

Defectus proprii:

1. Abest prorsus « ex integro » quaestio praecipua totius capitis, scilicet: « quid est sanctitas?... ».

2. Sanctitas est de essentia Ecclesiae, ergo locus proprius est in primo non in novissimo capite, quasi in appendice!

Et fortasse quidam, ex hoc facto, concluderet sanctitatem in Ecclesia esse aliquid periphericum vel saltem minoris momenti.

3. Abest ratio clara et evidens cur quis ad perfectionem tendere debeat (in primo capite, ni fallor, abest ratio parallela, ut ita dicam, scilicet, cur quis in Ecclesiam Christi ingredi debeat!).

Exhortatio Patrum conciliarium non est ratio et multo minus ratio sufficiens; semperque, saltem in minus instructis, ideam gignere posset agi de consilio non vero de stricta obligatione.

Tamen, ex verbis constitutionis quae consilium Dei ostendere debent omnibus, fidelibus et infidelibus, clare apparere debet quod quis tantummodo in Ecclesia Christi perfectionem attingit ad quam nos vocat Deus; et in Ecclesia Christi, tantummodo qui perfectionem attingit, seipsum perficit ex toto (vulgo: « si realiza ») tum in ordine naturae tum in ordine gratiae.

Defectus communes:

1. *Termini* neque a philosophia, neque a theologia neque a Iure Canonico desumuntur, et quidem studiose; sed nec semper menti hominis nostri aevi sunt accommodati, unde:

a) theologi, philosophi et canonistae (et multi in hac aula!) distinctionis motivum semper insumunt semperque suffragium hoc modo ferunt: « placet iuxta modum »;

b) ceteri nec semper quae dicuntur intelligunt, neque quae intelligunt rite intelligunt.

2. *Propositiones* non conficiuntur sollemni stylo conciliari et pluribus citationibus inficiuntur cum sacrificio: linguae, styli et claritatis.

3. *Nexus* inter propositiones est potius in voce « enim » vel in similibus quam in re.

Citationes scripturisticae nec semper bene aptantur, praesertim quando agitur de rebus accidentalibus, temporis Scriptoris Sacri propriis, non vero nostri aevi.

Ut quae dixi pateant, videamus prooemium! (pag. 18).

[In primis noto: quod bis in prooemio dicitur, ter saltem in sequenti numero (29) repetitur. Videte:

Linn. 1-3: « omnes ad sanctitatem vocantur ».

Linn. 4-8: « Filius ad homines venit ut sint sancti etc. ».

Lin. 16: « Dominus Iesus omnibus et singulis hominibus praedicavit: estote ergo vos perfecti etc. ».

Lin. 18: « Unum universaleque mandatum dedit (Iesus) etc. ».

Lin. 23: « perspicuum est Dominum ad sanctitatem vocare omnes discipulos »].

Lin. 1: « in mysterio Ecclesiae », omnes ad sanctitatem vocantur. Quod omnes in Ecclesia vocati sint ad sanctitatem est evidens; non equidem in mysterio Ecclesiae.

Lin. 2: « annuntiatur ». Non est novitas istius nostri Concilii mysterium Ecclesiae!

Lin. 3: « sive ad Hierarchiam etc. » haec distinctio est

a) inutilis, nam dixit antea omnes;

b) male proposita, nam laici ponuntur uti qui pascuntur tantum, et multa in hac aula audivimus de apostolatu laicorum!

Lin. 3: « ad sanctitatem ». Sed quid est sanctitas?... Nihil de eius essentia in toto capite!

Lin. 4: « Filius ». Cuius filius? ... est terminus syncategorematicus et alio verbo indiget ut ad suam deveniat claram significationem. Certe pro christianis esset sat clarum agi de Filio Dei, sed pro ceteris!...

Lin. 5: « habeat ». Pulcherrima haec citatio transfertur in integrum cum sacrificio concordantiae latinae, quae discordantia ulterius progreditur ad sequentia verba « elevat - replet - eligit ».

Lin. 6: « universos ad plenam etc. ... ». Si elevati et repleti caelestibus benedictionibus ut simus sancti et immaculati in conspectu Dei, ad quid conatus ad sanctitatem?...

Lin. 8: « in laudem gloriae gratiae suae »: sanctitas videtur uti Nirvana, scilicet tantummodo apparent quae sunt Dei non vero quae sunt hominis!

Lin. 9: « eligit ». Aegre sustinent theologi divisionem « operationum ad extra »

Divinarum Personarum; nunc vero alia operatio tribuitur Filio, scilicet electio quorundam ad vocationem religiosam!

Lin. 10: « ad regnum caelorum ». Sanctitas non est vocatio ad regnum caelorum; et regnum caelorum nec semper Paradisum indicat, immo fere semper Paradisum non indicat.

Lin. 11: « testimonium et exemplum ». Vita religiosa definitur potius ad extra (relate ad eos qui religiosi non sunt) quam ad intra (relate ad illos qui religiosi sunt); tamen, in primis, status religiosus est pro religiosis, non pro ceteris!

Moderator: Optima quidem erant quae dixisti, sed non pertinent ad hoc caput. Et enixe rogo Patres ut se teneant intra ambitum capitis.

ACTA SYNODALIA
SACROSANCTI CONCILII
OECUMENICI VATICANI II

VOLUMEN III
PERIODUS TERTIA

PARS I
SESSIO PUBLICA IV
CONGREGATIONES GENERALES LXXX-LXXXII



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXXIII

17

REV.MUS P. D. IUCUNDUS M. GROTTI

*Praelatus null. Acrensis et Puruensis**Index constitutionis de Ecclesia.*

- Cap. I - De aeterno Patris consilio eiusque temporali executione.
- Cap. II - De Filio Dei, Domino nostro Iesu Christo.
- Cap. III - De Spiritu Sancto ac de sanctitate.
- Cap. IV - De Deipara Virgine Maria.
- Cap. V - De ministris Dei et Ecclesiae.
- Cap. VI - De consiliorum evangelicorum sectatoribus.
- Cap. VII - De christifidelibus.
- Cap. VIII - De omnibus ad Ecclesiam plene adducendis.
- Conclusio.

*De mirabili totius Ecclesiae sacramento.*¹

Prooemium. Amor cum sit Deus,² visibilia omnia et invisibilia³ a se mirabiliter⁴ condita et de cuius perfectione participant,⁵ ad unitatem impellit;⁶ et cuncta, non obstante originali culpa qua vulneratus est homo,⁷ quaeque aliquid in rerum universitatem redundat,⁸ ad unitatem, suapte natura, feruntur;⁹ quare, mirabilium praesertim adinventionum causa quas, deitatis incessabili luce ac vi, nostri aevi assecutus est homo, undique in dies sitis crescit culturalis, cosmicae immo et culturalis unitatis.

Ut homines autem uno etiam ac signanter religionis arctiori vinculo iuncti,¹⁰ unumque corde, mente et opere tandem affecti, ad Deum adspirent Deumque veluti attrectent,¹¹ qui omnis vitae est prima origo et ultimus finis,¹² haec Sac. Oec. Synodus Vaticana Secunda, Sacris Scripturis et Apostolorum Traditionibus innixa, ut huic generali siti provide occurrat simulque claritatem foveat confusionemque depellat, revocata ad memoriam divina universali oeconomia, distinctisque ac declaratis singulis formis sub quibus, saeculorum decursu, Ecclesia apparuit,¹³ de ipsa in strictiori ac pleniori sua acceptione, prout scilicet a Patre per Filium eius Iesum Christum, Sancti Spiritus afflante gratia, super Petrum fundata fuit, quaeque eiusdem Paracliti virtute in dies ad perfectiora evehitur, fidelibus suis cunctisque hominibus doctrinam tradit, disserens de Christi Ecclesia in sua arcana natura et salutari missione, de eiusdem constitutione hierarchica seu de ipsius Petri ac signanter ceterorum Apostolorum successoribus eorumque in sacro ministerio cooperantibus, de iis quoque qui dominica sectantur consilia ac tandem de fidelibus caritatis opera assidue exercentibus.

Cap. I - De aeterno Patris consilio, eiusque temporali executione.

Aeternus Pater, arcano sapientiae ac bonitatis suae consilio, per Verbum suum,¹⁴ Spiritus Sancti virtute,¹⁵ universa, visibilia et invisibilia, creavit,¹⁶ ut divini Verbi similitudines divinique amoris participationes extaret, cuius vi, in sua pluralitate, cuncta creata unitatem peterent, sicut et ipse Deus, omnium exemplar, principium et finis, qui Trinus est et Unus.

Attamen, inter alia a se condita, ita hominem dilexit ut in ipso sua divina

¹ Oratio post II prophetiam olim Sabbati S. in Missali Romano.

² I Io. 4, 8, 16.

³ *Symbolum Nicaeno-Constantinopolitanum.*

⁴ *Gen.* 1, 31; *Missale Romanum, Ordo Missae*, oratio dicenda dum infunditur aqua in calicem; *ibid.*, Vigilia Paschalis, oratio post primam lectionem.

⁵ *Sap.* 13, 3-5; *Miss. Rom.*, secreta primae Missae in Nativitate Domini.

⁶ *Os.*, 11, 1-9; *Act.* 17, 28; *Eph.* 4, 6; etc.

⁷ *Concilium Tridentinum*, Sess. V, *Gen.* 3; *Rom.* 5, 12-21.

⁸ *Gen.* 3; *Rom.* 8, 19-23; multorum Sacramentalium universae Ecclesiae preces.

⁹ *Is.* 54, 4-10. Cf. etiam notam 6.

¹⁰ *Eph.* 4, 1-16.

¹¹ *Act.* 17, 27.

¹² *Gen.* 1-2; *Act.* 17, 24-28.

¹³ S. GREGORIUS MAGNUS, *Hom. in Ev.* 19: PL 76, 1154, prout in tres lectiones distributa olim legebatur in Breviario Romano, in Dominica Septuagesimae.

¹⁴ *Io.* 1, 3.

¹⁵ PIUS IX, Bulla Dogm. *Ineffabilis Deus*, in definitione aliisque multis in textibus. Cf. etiam *Pont. Rom.*, Bened. capsarum pro Reliquiis.

¹⁶ Symbola fidei.

clarius niteret imago:¹⁷ sensibilis naturae, cosmicae cuiusdam ecclesiae, sacerdos factus, vixit Adam in paradiso voluptatis ut operaretur et custodiret illum,¹⁸ cunctisque praeesset;¹⁹ quae omnia, per ipsum cum ipso et in ipso, Deo ac sibi et inter se unita erant. Ideoque, iam in ipso humanae consortionis exordio, Deum Ecclesiam fundasse, verissimo quodam sensu, dicendum est. Est enim Ecclesia, inde a primi Adae innocentis tempore, qui fuit « forma futuri »²⁰ hominum cum Deo et inter se adunatio, Dei familia et regnum: qua in societate, Deus pater extat et sponsus, caput et rex, magister atque salvator; humanitas vero filia et sponsa, corpus et subditum, discipula atque salvanda, sed ad cooperationem vocata, uti mater et magistra, in omnium procuranda salute; Spiritus autem gratia est vita, spiramen et vinculum, quo ipsa Ecclesia, familia et regnum, e pluribus fit unum.

Diabolica tamen fraude deceptus, humani generis protoplastes ruit, et per ipsum et cum ipso et in ipso rerum ordo mirabilis. Sed Amor cum sit Deus, a diligenda factura sua numquam destitit; at missis Patriarchis, Moyse et Prophetis servis suis, clariorem in dies Verbi revelationem et ampliorem Spiritus effusionem contulit; quarum vi ac virtute, filios suos in Adamo lapsos²¹ atque dispersos ad unum secum indesinenter revocans,²² ac foedus successive iterans,²³ novas iugiterque perfectiores Ecclesias, seu potius unius eiusdemque universalis Ecclesiae formas praebuit, ab initiali ad patriarchalem, a patriarchali ad mosaico-propheticam, et ab hac ad Christi Ecclesiam, novissimam omnium ac perfectissimam, super eiusdem Christi angularem lapidem et Petri arcem fundatam, in quam cunctarum gentium transiret plenitudo²⁴ et per quam omnia redire possent in integrum a quo sumpsere principium: Iesum Christum Dominum nostrum, Aeterni Patris Filium.²⁵

Imminente enim temporis plenitudine, cum Aeternus Pater Mariam excitavit gratia plenam,²⁶ non tantum primorum temporum revixit Ecclesia sed ex tunc ad perfectiorem formam est evecta: haec namque Dei filia, sponsa ac discipula, necnon cum at sub Eo mater et magistra, innocentis Evae celsitudinem longe superans, Evae nocenti eiusque filiis mirabile extitit salutis exordium.²⁷

« Quando venit ergo sacri plenitudo temporis »,²⁸ e caelorum arce misit Pater²⁹ coaeternum sibi Filium qui, de intemeratae Virginis intacto sinu Sancti Spiritus obumbratione foecundato,³⁰ nostram suscipiens naturam « homo factus est »³¹ « et habitavit in nobis ».³²

¹⁷ *Gen.* 1, 27.

¹⁸ *Gen.* 2, 15.

¹⁹ *Gen.* 1, 26.

²⁰ *Rom.* 5, 14.

²¹ *Rom.* 5, 12.

²² *Io.* 11, 52.

²³ Oratio post V proph. olim Sabb. S. in Missali Romano.

²⁴ *Miss. Rom.*, Oratio post IV lectionem Vigiliae Pasch.

²⁵ Oratio post II proph. olim Sabb. S. in Missali Romano.

²⁶ *Lc.* 1, 28.

²⁷ *Miss. Rom.*, in festo Nativitatis B. M. V.

²⁸ *Gal.* 4, 4; *Brev. Rom.*, Hymnus ad Mat. temporis Passionis.

²⁹ *Gal.* 4, 4; *I Io.* 4, 9-10, 14.

³⁰ *Miss. Rom.*, Praefatio B. M. V.

³¹ *Io.* 1, 14.

³² *Io.* 1, 14.

In ipso autem Incarnato Verbo, Deo homineque in unam eandemque conveniente personam,³³ supremam Ecclesia perfectissimamque attigit formam: Deitate per modum patris, sponsi ac magistri, relate ad Christi humanitatem se habente; Christi autem humanitate, filiae ad instar, sponsae ac discipulae, matris et magistrae, cum at sub divinitate se gerente.³⁴ Quae mirabilis Ecclesiae forma, ex ipso Incarnationis facto ad Nazarethanam redundavit familiam,³⁵ immo ad humanam progeniem et quodammodo ad universitatem creaturarum rerum.³⁶ Quos vero, incarnatione sua, ad se adunaverat atque in seipso ad perfectissimam Ecclesiam redegerat, tunc etiam, actione sua, ad se et in seipso, inter se et in seipsis, adunare coepit cum, praemisso asperissimo quadragesimali ieiunio ac tentatore depulso,³⁷ Dei regnum praedicare aggressus est,³⁸ et, vocatis, institutis ac missis Apostolis; receptis discipulis; adlectis turbis; sua divinitate suaque doctrina miraculis firmata; sacra hierarchia constituta, sanguine effuso et morte, resurgendo, devicta; caelo, gloriose, conscenso; Pentecostes die, Spiritu Sancto affluenter demisso,³⁹ Ecclesiam ad terrestrem perfectissimam formam evexit.

Haec est universalis Ecclesiae novissima et perfectissima terrestris forma, quam Christi necnon Petri ceterorumque Apostolorum vocamus,⁴⁰ et ad quam priores eiusdem universalis Ecclesiae formae, tamquam flumina ad oceanum atque semitae ad montis fastigium, undique confluunt.⁴¹

In ea vero, Deus Pater caput extat supremum, sponsus, magister et rex;⁴² per Filium suum e Virgine natum, arcane ad consummationem usque saeculi nobiscum manentem,⁴³ Paracliti Spiritus providentia invisibiliter hanc ipsam Ecclesiam suam gubernans et incessabiliter provehens,⁴⁴ visibiliter autem per Petrum in primis ceterosque Apostolos, in propria ac successorum persona,⁴⁵ tamquam patres,⁴⁶ sponsali quoque anulo ornatos,⁴⁷ regalisque Iesu sacerdotii participatione sacros,⁴⁸ capita atque magistros;⁴⁹ reliqua fidelium compage ad eos se

³³ *Miss. Rom.*, Secreta in secunda Missa Nativ. Domini; F. MORIONES, O.R.S.A., *Enchiridion theologicum S. Augustini*, Matriri 1961, n. 1160.

³⁴ S. AUGUSTINUS, *Sermo* 291: *PL* 38, 1319.

³⁵ *Brev. Rom.*, Hymnus (Leonis XIII) ad Laudes in festo S. Familiae.

³⁶ *Ench. Aug.*, nn. 1217-1243, passim.

³⁷ *Mt.* 4, 1-11; *Mc.* 1, 12-13; *Lc.* 4, 1-13.

³⁸ *Mt.* 4, 23.

³⁹ Cf. N. T. et praesertim *Evang.* et *Act.* notissimos locos.

⁴⁰ *Concilium Vaticanum I*, Const. dogm. *Pastor aeternus*; *Ench. Aug.*, nn. 1289-1310; *Symb. Apost. et Nicaeno-Const.*

⁴¹ *Mt.* 5, 17-48; *Eph.* 2, 19-22; *Hebr.* 11, 39.

⁴² Pro his titulis qui, diversa ratione, competunt Deo, Ecclesiae, eiusque membris sive in hierarchico Ordine constitutis sive non, cf. notissimos Prophetarum, Psalmorum, Evangelii et Pauli locos (e. g., *Is.* 54, 4-10; *Os.* 2; *Eph.* 5, 21-33 etc.) necnon *Ench. Aug.*, nn. 1217-1392, passim.

⁴³ *Mt.* 28, 20.

⁴⁴ *Io.* 14-16, passim; *Act.* in omnibus capitibus, exceptis 3, 12, 24-27; *Miss. Rom.*, oratio in sabb. Quattuor temp. Pentecostes; *Ench. Aug.*, nn. 1260-1288, passim.

⁴⁵ ORIGENES, *Comment. in Mat.*, 12-13; *Ench. Aug.*, nn. 1289-1327, passim.

⁴⁶ *Pont. Rom.*, in initio ritus ordinationis Diac. et Pres. necnon consecrationis Virg. et Regum.

⁴⁷ *Pont. Rom.*, in anuli episcopalis traditione.

⁴⁸ *Hebr.* 5-10, passim; *1 Pt.* 2.

⁴⁹ S. CYRILLUS ALEX., *Comment. in Io.*, lib. 12: *PG* 74, 701-722.

habente tamquam filia, discipula, subdita,⁵⁰ ac tamen sponsa,⁵¹ immo matris et magistrae munus cum at sub eis exercente;⁵² quibus omnibus divini Amoris virtute, familia,⁵³ corpus, populus atque regnum⁵⁴ exurgit, ad plenior in dies unitatem, altioreque sanctitatem provehendum in terris, gloriose ac perpetim consummandum in caelis. Quae supernaturalis societas, sui capitis divini ratione, absoluta unitate et infinita sanctitate refulget; beatissimae autem Virginis, Angelorum aliorumque caelium, immo et revelatae doctrinae, necnon sacrorum instrumentorum salutis ac supernae destinationis causa, sublimi iam unitate et sanctitate coruscat; quia vero, originariae labis humanaeque inde consequentis debilitatis pondere, necesse est de mundano pulvere religiosa etiam corda sordescere,⁵⁵ ideo stupebit nemo si terrena Ecclesiae portio, quousque in hac peregrinatur infirmitatis valle, membris seu filiis constet non tantum qui mirabilem iam in terris assecuti sunt sanctitatem, sed et qui, fragilitate, ignorantia aut malitia, membris aegrotis⁵⁶ filiisve prodigis comparari valent; quos tamen misericors Pater, per Filium suum generis nostri Satorem, eiusque ministros, innumeris pene suae sapientiae suaeque caritatis modis,⁵⁷ Sancti Spiritus arcana virtute, qui etiam rebelles quit voluntates compellere,⁵⁸ auxiliante quoque infallibili Sanctorum Communione,⁵⁹ dum sanctos hic adhuc degentes adiuvat ut ad ampliorem perfectionem ascendant, extorres vocat aut revocat, aegrosque a peccatorum lepra, saltem nisi restiterint, mundat;⁶⁰ filios impenitentes vero, tamquam putrida membra lugens resecat;⁶¹ cunctosque sibi adhaerentes, praemissa etiam, quoties oportuerit, salutifera in Ecclesia Purgatorii expiatione,⁶² ac suscitatis dein gloriose ipsorum corporibus,⁶³ Beatorum in

⁵⁰ *Rom.* 8, 14-17; *Gal.* 4, 1-7; cf. ritum byzantinum et romanum benedictionis fontis seu aquae baptismalis, ipsosque Baptismatis ritus.

⁵¹ Cf. notam 42.

⁵² Cf. notam 42.

⁵³ Ecclesia est in primis familia cum constet Patre, filiis et amore, et, consequenter tantum, regnum et populus. Quoad omnes praedictos locos, ubi sermo est de Deo, Beata Virgine, capitibus aliisque Ecclesiae membris, ac de paternitate, filiatione, sponsalitate, maternitate, discipulatu, magisterio, et amore uniente, sanctificante, provehente etc. cf. C. M. BERTI, O.S.M., *Methodologiae theologicae elementa* (Scripta Professorum Facultatis Theologicae « Marianum » de Urbe, Ordinis Fratrum Servorum B. Mariae V.), Romae, Desclée, 1955, passim et praesertim pp. 79-90, 100-113, 118-132.

⁵⁴ Notandum est, cum dicimus Ecclesiam esse familiam, populum, regnum, nos non loqui figuratiter sed realiter; unde mirandum est quod in schemate proposito familia fuit inter figuras collocata et ei praelata fuit vox « populus ».

⁵⁵ S. LEO MAGNUS, *Sermo IV de Quadrag.*, olim in II noct. Dominicae I in Quadr. Brev. Rom.

⁵⁶ *Pont. Rom.*, in expulsione publice poenitentium ex Ecclesia in feria IV cinerum et in reconciliatione eorumdem in feria V in Coena Domini, necnon in ordine suspensionis et reconciliationis; cf. *Ench. Aug.*, nn. 1363-1392, passim.

⁵⁷ Cf. Anaphoras Orientales et ritus Sacramentorum et Sacramentalium omnium Liturgiarum.

⁵⁸ *Miss. Rom.*, secreta Sabb. post Dom. IV Quadr.

⁵⁹ *Symb. Apost. et Nic.-Const.*; Sacrae Liturg. ubi de glorificatione et intercessione Sanctorum ac de precibus pro Defunctis; Sacrarum Indulgentiarum praxis.

⁶⁰ Cf. notam n. 56 et omnes poenitentiales ritus, sive pertinentes ad Sacramentum Poenitentiae et Unctionis Infirmorum, sive ad Sacramentalia.

⁶¹ Cf. notam 56.

⁶² Cf. Liturgiam Defunctorum.

⁶³ *Symb. Apost. et Nic.-Const.*; Liturgia Paschalis.

caelis tandem iungat Ecclesiae consortio;⁶⁴ ubi, in fine saeculorum, tradita per Dominum Iesum Aeterno Patri familia seu regno,⁶⁵ ipse Amor, qui Deus est,⁶⁶ perfectissime in Ecclesia manebit et ipsa in Eo;⁶⁷ sicque unitatem et sanctitatem assequetur absolutam omnino atque perpetuam.

Ex cap. VIII, quae ad Oecumenismum plene intelligendum inservire possent, sequentia deprompsi.*

... Ecclesia enim, omnimode universalis, quae ab Adam innocente seu ab Abel iusto pergit usque ad ultimum electum, non est quid horizontale, sed *conicum* et *pyramidale*, scil. ad perfectiorem in dies formam a divina voluntate et caritate, *gradatim*, adductum; in cuius coni seu pyramidis vertice, nempe doctrinae et mediolorum ad salutem plenitudine, a Deo perducta et locata est Ecclesiae novissima et definitiva forma, quae catholica nuncupatur.

Ideoque qui scienter et volenter, ad illam ascendere renuit, divinae voluntati contradicit, Spiritum Sanctum contristat cuius opus contemnit, sicque a Dei gratia decedit, salutemque suam aeternam in discrimen adducit.

Ex hoc claro principio, sanus oritur oecumenismus, seu catholicorum hierarcharum fideliumque omnium spiritus et obligatio, universos sanctitate, oratione, verbo, aliisque aptis mediis ad catholicae Ecclesiae summitatem alliciendi, inducendi amanterque compellendi; sicut et universorum spiritus et obligatio, qui ad talem apicem nondum pervenerunt, divinae voluntati, inspiratione, eloquio aut studio perceptae, humiliter, sincere amanterque se conformandi, ad Ecclesiae Catholicae culmen seu perfectionem ascendentes, ut ita, secundum Aeterni Patris consilium, et ipsi se sentiant totaliter factos (seu, ut italice dicitur, « totalmente realizzati »)...

⁶⁴ *Miss. Rom.*, oratio pro episcopo defuncto et generatim pro omnibus defunctis.

⁶⁵ *1 Cor.* 15, 20-28.

⁶⁶ *1 Io.* 4, 8, 16.

⁶⁷ *Io.* 14, 23; *1 Io.* 4, 16.

* Quaeri potest an, ad unitatem, iuxta Domini Iesu optata, fovendam provehendamque iuvaret ut, Sacro adprobante Concilio, per selectissimos universae prorsus Ecclesiae (non ergo ex solo Catholicorum coetu) Peritos, collatis serene sincereque viribus, accurate, quorumdam annorum spatio, syntheticum, at critico in notulis apparatu ornatum, conficiatur *S. Theologiae compendium*, in quo, profunde at *perspicue* omnino, totum id quod *certissime divinitus revelatum* est perstringatur, *additis* quoque iis *quae cum revelatione nexu iunguntur evidenter necessario*.